



Pr. 37. num 4

Z,

DISSERTATIO IVRIDICA
DE

1754/6

DIVERSA INDOLE
PROCESSVS INQVISITORII
ET ACCVSATORII

12

NEC NON

DE FINIBVS EIVS CAUTE DETERMINANDIS
ET REGVNDIS

SPECIATIM

DE PROCESSV ACCVSATORIO INQVISTITIONI SPECIALI
IN EADEM CAVSSA NON SVBORDINANDO

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE

AC DOMINO

DN. FRIDERICO

HASSIAE PRINCIPE HAEREDITARIO

P. 504

PRAESIDE

D. AEMIL. LVD. HOMBERGK zu Bach

SERENISSIMIS HASSIAE LANDGRAVIIS

IN IVDICIO AVLICO A CONSILII IVR. PROFESS. ORDIN.

AD DIEM SEPTEMBRIS MDCCLIV.


H. L. Q. S.

PVBLCO COMMILITONVM EXAMINI

SVEMITTIT

IOH. CHRISTIANVS IVSTINVS KIRCHMEJER

MARVBERGENSIS



MARVBERGI CATTORVM

TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYP.



ILLVSTRISSIMO
ET
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
FRIDERICO L. B. DE EYBEN
SERENISSIMO
HASSIARVM LANDGRAVIO
A CONSILIIS SANCTIORIBVS
SVPREMAE APPELLATIONVM CVRIAE
PRAESIDI
ACADEMIARVM
HASSIACARVM CVRATORI
PVBLICE SALVTIS STATORI
SCIENTIARVM PROTECTORI
CIVIVM TVTORI
BONORVM OMNIIVM
PATRONO MAXIMO
DOMINO
SVO INDVLGENTISSIMO



ILLUSTRATIONE
ET
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
FRIDERICO L. B. DE EYBEN
SERENISSIMO
HASSIARUM LANDGRAEVO
A CONSUE. SANCIONE
SERENAE APPELLATIONUM CURIAE
PRESIDI
ACADEMICUM
HASSINGARUM GRATIORI
PACIS SALUTIS STATORE
SCIENTIARUM RECTORI
CIVICUM TORI
HONORIS COUNCIL
PATRONO / MAXIMO
DOMINO
SNO INDULGENTISSIMO



ILLVSTRISSIME DOMINE

ILLVSTRISSIME DOMINE

Si nominis splendorem, meritorum gloriam et virtutem in eminenti fastigio collocatam non nisi e longinquis et obscuris locis cum sacro silentio admirari fas foret: vix auderem ego, ILLVSTRISSIME DOMINE TVAM propius colere gratiam et solvere vota, quae dudum concepit fidum obsequium. Sed nec solet TVVS ille orbi celebratus fauor repellere homines, qui TVAM ita ambiunt gratiam, vt simul sperare queant, se illa non prorsus futuros indignos. Accipe ergo, oro, serena facie

facie, *INDVLGENTISSIME DOMINE*
chartam, quae eatenus saltem mea est, quatenus in
his scholis formatus haecenus, de argumento
ipso in publico quaedam differere didici. Neque
vero *TVO* Tanto Nomini ista mea prima tantum
vt exilia molimina consecro, sed et me deuoueo
totum, hasque sollemnes nuncupo preces, vt di-
uino praesidio tutus, gloriosam et porro eamque
longissimam aetatem ducas et huius Patriae
diurnam salutem stabilias, quo populus prae-
sens atque futurus *TE* optimum genium, suae-
que felicitatis auctorem cum mente gratissima ce-
lebre. *Habe me cum animi demissi obsequio*

ILLVSTRISSIME DOMINE

ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI

Cultorum deuotissimum

IOH. CHRISTIAN. IVST. KIRCHMEJER.

ANNEXA RESPONDENTIS.

I.

Genuinum Iuris naturae Principium in sensu inter-
no boni et mali positum est. Per bonum intelligo,
quod perfectionem vel auget vel conseruat; per ma-
lum, quod eandem vel minuit vel tollit. Perfectio ve-
ro mihi est coexistentia eorum quae per essentiam entis
determinantur. Sensus ille internus menti humanae non
minus naturalis est, ac corpori sensus externus boni et
mali quo extrinsecus afficitur.

II.

Datur ius naturae permissiuum et huc refero omnia
quae solius voluptatis gratia agimus, nec tamen nocent.

III.

Datur de Iure naturae successio, tam legitima, quam
ex vltima voluntate.

IV.

Circumstantiae, sub quibus commodum ex negotio
speramus, per rerum naturam sunt mutabiles. Hinc in
computo quantitatis istius commodi ipsa illa mutabilitas
consideratur, indeque omnem conuentionem spem con-
tinere, defendo. E. mutatio circumstantiarum nihil in
obligatione mutare potest.

V.

Vfuscapio non est iuris naturae.

VI.

Vfusas vltra fortis quantitatem solutas, forti impu-
tari durum et principiis hodiernis de vsuris minus conue-
niens est ac proinde vsu fori aliud seruatur.

VII.

Iuri luendi pignus non praescribitur.

VIII.

Praescriptio annuorum reddituum non ponenda est
vna,

✿ ✿ ✿

vna, quasi vniuersi iuris, sed a singulis annis est ducenda, vt tot sint praescriptiones, quot sunt anni, nisi denegatio praestationis praecefferit.

IX.

Consummato matrimonio pater ad constituendam dotem cogi potest, licet nullam promiserit.

X.

Iudex non imploratus quoad interessè priuatum non inquit in criminalibus.

XI.

Iudex reo licet non petenti copiam indiciorum facere tenetur.

XII.

Iudex ob falsum rumorem bona fide contra aliquem inquirens, non tenetur quidem iniuriarum, at tamen autorem rumoris deregere tenetur.

XIII.

Tortura incertum admodum et fragile ad veritatem eruendam remedium est, adeo, vt iudice H. GRO-
TIO Epist. 693. *nulla fides sit, cui minus fidei esse debeat, quam tormentorum: mentietur enim, vt ait vetus quidam, qui ferre potuerit, mentietur qui ferre non potuerit, cet.* Optandum itaque vsum torturae eo restringi, vt saltim ad coercendam contumaciam rei plene probatam adhibeatur.

XIV.

Bancruptores dolosos furti poena affici, nec ab aequitate, nec a iuris ratione abhorret.

XV.

Cuius est regio, eius quoque, nisi leges vel conuentiones obstant, est religio.





§. I.

DE PROCESSV CRIMINALI IN GENERE.



Malos homines, quibus prouinciam purgari publice interest, non vno processus genere persequitur Germania. Rem omnibus notam, tanquam incognitam, vel non satis expeditam hoc loco proponere non est animus. Mentionem saltem iniicere liceat, vtriusque processus criminalis, eiusque tam ACCVSATORII, qui apud Romanos potissimum viguit, nec hodie abrogatus est; quam INQUISITORII, qui, si Romae, eo, quo hodie frequentatur modo, non obtinuit, (a) a naturali tamen ratione non
A 2 abhor-

(a) Romanos processum inquisitorium in vsu habuisse de-

fendunt A. MATTHAEVS *de crimin. Lib. 48. Tit. 20. cap. 1. num.*

abhorret, sed inde ab INNOCENTII III. Papae, temporibus inualuit atque a CAROLO V. in Constitutione Criminali publica lege introductus et confirmatus est (b).

§. II.

DE PROCESSV ACCVSATORIO.

Processus accusatorius, qui modum procedendi in caussis ciuilibus receptum fere seruat, (a) mini-

num. 1. pag. m. 865. nec non F. BALDVINVS in *comment. ad edicta vet. princip. de Christianis*, refutati ideo a IUSTO HENNINGIO BOEHMERO in *Iure Eccles. Prot. Lib. V. tit. I. §. 82. seq.* qui sequitur CHRISTIANVM THOMASIVM in *Diff. de orig. proc. inquis.* §. 35. seq. Ex recentioribus tamen ESAIAS PVFENDORFIVS in *introd. ad Proc. Crim. Luneb. Cap. 3. §. 3.* IOHANNES GOTHOFREDVS SCHAVMBVVG in *Compend. Iur. Dig. Lib. 48. tit. 2. §. 5.* cum aliis dissentiunt. Quin AVGVSTINVS A LEYSER Inquisitiones Romanis non tantum non incognitas, sed etiam ante IUSTINIANVM in usu, et a IUSTINIANO probatas iussasque fuisse docet *Vol. VIII. spec. §60. med.* 10. licet forma, quam processus inquisitorius hodie seruat,

plane alia et ex iure canonico desumpta sit. I. G. SCHAVMBVVG in *princip. prax. iudic. Lib. 2. Cap. 9. §. 13. not. 2.*

(b) Videatur CHRISTIANVS THOMASIVS in *Cit. Diff. de Orig. Proc. Inq. Halae 1711. habita*, nec non I. H. BOEHMERVS *loc. cit. Lib. 5. tit. 1. §. 85. seq.* qui vtriusque Processus originem, indolem atque fata pluribus exposuerunt. Conf. IOH. PAVL. KRESSIVS in *Comment. ad C. C. C. art. 6. 7. §. 3.* Ill. IOH. RVD. ENGAV in *Elem. Iur. Germ. Lib. 2. tit. 6. §. 1.*

(a) vid. B. CARPZOVIVS in *Praxi Crim. P. 2. Qu. 106. n. 2.* Viri illustres IOHANNES SAMVEL FRIDERICVS BOEHMER in *Elem. Jurisp. Crim. Sect. 1. cap. 4.* IOHANNES RVDOLPHVS ENGAV in *Elem. Iur. Crim. Lib. 2. Tit. 5. §. 1.*

minime sublatus est, (b) sed vel ex libera voluntate, vel ex officii necessitate instituitur. (c) Et hanc quidem Procuratoribus Fisci incumbere constat, illa vero omnes ex populo, qui speciatim non prohibentur, gaudent. (d) Sunt, qui dissentiunt, et facultatem accusandi promiscuam hodie sublatam esse contendunt, eamque non nisi his, quam quos ea res tangit, concedunt (e) Sed hi dum rationes ab incommodis desumunt, quae ex promiscuo accusatorum usu in rempublicam redundare possunt, non tam probant, illum abrogatum esse, quam quod eum tolli reipublicae expediat. Nullus Legislator, vt recte monuit vir Summus AVG. A LEYSER (f) adhuc eum damnauit, CAROLVS V. vero in Constitutione Criminali ARTIC. XI. XII. §. I. et ARTIC. CLXXXI. §. I. vbi argumenti huius sedes est, facultatem accusandi promiscuam neque sustulit, neque restrinxit, sed tanquam remedium ordinarium

A 3

suppo-

(b) AVGVSTINVS A LEYSER *Specim. 560. med. §. ESAIAS PV- ERNDORF in introd. in Proc. Crim. Lubeb. Cap. 2. §. 1.*

(c) B. ERISSENIUS *Antiq. Lib. 3. Cap. VI.* BOEHMERVS *L. C. §. 78.*

(d) §. I. I. *de public. iudic.*

(e) 1. MATTHAEVS *de cri- min. Lib. 48. tit. 20. Cap. 2. num. 1.* A VINNIUS *in Com- ment. ad §. 1. I. de publ. iud. GEORGIUS BEYERVS in delin. II. Lib. 48. tit. 2. §. 2. in not.*

(f) *Spec. 560. pag. 453. in fin.*

supposuit, adeoque Processum inquisitorium de quo ARTIC. VI. CCXIV. et CCXIX. in eius locum non substituit, verum ceu nouum processum genus superiori adiunxit. (g) Argumentum GEORGII BEYERI (h) a defectu praeiudiciorum petitur, rem quidem tangit, sed non conficit. Accusandi ius, tanquam res merae facultatis, solo non vsu periisse dici non potest. Proferant dissentientes, quod aequè difficulter eos posse confidimus, vel vnum accusatoris hac de causa a limine iudicii repulsi exemplum. Non facile quidem aliquem, cui nec officii ratio agendi necessitatem imponit, et quem priuati commodi spes non excitat, ad accusandum insurrecturum esse vltro largimur. Neque etiam rationes, quibus homines hodie ab accusando absterrentur, e longinquo petendae sunt. (i) At si quis probationibus sufficientibus instructus accusare reum publici criminis voluerit, quin illi via non obstruenda, sed potius aditus patefaciendus sit, cum ratione nemo negauerit. (k)

§. III.

(g) SCHAVMBURG in *Comp. Iur. Dig. Lib. 48. tit. 2. §. 5.*

(i) vid. ESAIAS PVENDORF. *l. c. cap. 2.*

(h) *l. c.*

(k) CARPZOV. in *Prax. Crim. Quaest.*

§. III.

DE PROCESSV INQVISITORIO.

Processus inquisitorius, qui cum accusatorio praeter finem nihil fere commune habet, multis in Prouinciis Germaniae frequentatur. In eo absoluta inquisitione generali non accusator aliquis sponte prodit, aut ex officio constituitur, aut Procurator Fisci muneris sui admoneatur, sed reus indiciis sufficienter grauatus, interrogatur ad articulos a iudice ipso formatos, testes examinantur, argumenta ad conuincendum reum idonea vndique conquiruntur, reus diris quaestionibus subiicitur et tandem expositis deductisque omnibus innocentiae argumentis fertur sententia (a).

§. IV.

VTRVM REIPVBLICAE EXPEDIAT, VT
NEMO CONDEMNETVR, NISI ACCV-
SATVS FVERIT?

Quod si iam quaeritur, vter processus altero praestet? prius expedienda est quaestio:
num

Quaest. 104. IOACHIM. HOFF. in
Comment. ad §. 1. l. de publ.
iud. ESAIAS PVFENDORE. l. c. §.
1. 2. AVGVSTIN. A LEYSER Spec.
§64. medit. 5.

(a) Differentias Processus
inquisitorii et accusatorii stri-
ctim recensuit I. H. BOEHME-
RVS in IVR. ECCLES. Prot. Lib.
3. tit. 1. §. 85.

num reipublicae expediat, vt adempta magistratibus facultate inquirendi, processus accusatorius solus introducatur et obseruetur? Quam quaestionem, dum sui momento ponderamus, certo persuasi sumus, nullam bene ordinatam rempublicam existere aut existuram fore, in qua magistratibus non sit imposita necessitas dandi operam, vt delicta puniantur. Ipsa enim Reipublicae utilitas, tanquam suprema quaedam lex non videtur permittere, vt reus, qui criminis alicuius suspicionem incurrit et conuinci potest, impunitus abeat, hanc vnice ob causam, quia neque a Procuratore Fisci, neque ab alio quopiam libere accusatus est, licet a magistratu, si huic ex officio procedere liceret, conuinci posset, vel crimen ipsum confessus fuerit, vel etiam de delicto eiusque auctore publice confet. Vnde consequens est, facultatem inquirendi absque maximo reipublicae detrimento magistratibus adimi non posse. Sed deficiente accusatore eos omni studio hoc agere debere, vt in suspectas sibi personas inquirent easque iustis poenis afficiant. Quamuis enim satis credibile sit, in ciuitate, vbi Magistratus inquirere prohibentur, omnes coniunctis quasi viribus hoc acturos esse, ne quis suspicione grauatus
aut

aut criminis alicuius reus factus accusationem effugiat, ne, si crimina maneant impunita, ipsa ciuitas intereat: vnusquisque tamen intelligit, non nisi infelicissimum futurum esse eius ciuitatis statum. Quod si enim in republica Romana, vbi Magistratus operam dare tenebantur, vt prouincia malis hominibus purgetur, (a) CALVMNIATORES, (b) PREAVARICATORES, (c) TERGIVERSANTES, (d) QVADRVPLATORES (e) odiosum reddiderunt processum accusatorium atque seueris poenis opus fuit, quibus impiis hominibus obex poneretur; quid futurum esset, si Magistratus ne inquirere quidem et persequi reos criminum possint, licet velint? (f)

§. V.

(a) videatur I. H. BOEHMERVS l. c. Lib. 5. tit. 1. §. 84.

(b) de calumniatoribus egregia habet FRANCISCVS BALDVINVS in opusculo quod exstat in *Iurisprudencia Romana et Attica* I. G. HEINECCI Tom. I. pag. 1430. Fata calumniatorum sub Imperatoribus maximo cum eruditionis apparatu exposuit H. BRENCMANNVS cuius librum singularem de *Legis Remmiae exitu Tomo III. The-sauri Iuris Romani* inseruit Vir

illustri EVERHARDVS OTTO pag. 1574.

(c) de praeuaricatione et poena praeuaricatorum varia attulit A. MATTHAEVS de *Crimin. Lib. 47. tit. 9. cap. 1. et 2. pag. 214.*

(d) vid. A. MATTHAEVS d. l. p. 736.

(e) I. P. KRESSIVS in *Comm. ad Constit. crim. artic. 17. §. 2. not. 4.*

(f) conf. CARPZOV. in *Pract. Crim. Part. 3. Qu. 107. num. 3. seq.*

§. V.

AN FACVLTATEM ACCVSANDI E REPUBVICA
TOLLERE CONSVLTVM SIT?

Contraria priori quaestio est, an accusandi licentia e republica proscribenda et delictorum omnium inuestigatio arbitrio et conscientiae magistratus committenda sit? eamque pariter sententia decidere non dubitamus. Quemadmodum enim rationibus ciuitatis non consulere demonstrauius legislatorem, qui adempta magistratibus inquirendi facultate, accusatorem ex populo expectandum censet, cum multa accidere possint, vt rei criminum ita plane non accusentur, infontes vero magis expositi sint calumniis malorum hominum: ita nec rectius rationes suas subducere putamus summum imperantem, qui, nisi iudex ex officio inquirendum putet, nemini accusandi licentiam concedit, sed conuincere reum paratos a limine iudicii repellit. Nam vt recte ait IOANNES PAVLLVS KRESIVS: (a) *muta nomen accusatoris in iudicis nomen, vti necessum est in processu inquisitorio, et saepe habebis iudices calumniatores, praeuaricatores, tergiuersantes, quadruplicatores, quo hominum*

(a) *l. c.*

minum genere nihil est perniciosius reipublicae, siue in accusando, siue in inquirendo se tales exhibeant.

§. VI.

VTER PROCESSVS ALTERO PRAESTET.

Quibus expositis, reuertamur ad quaestionem supra propositam: vter processus criminalis altero praestet? Vbi praemonendum est, non quaeri de inquisitione generali, quae processum criminalem praecedit, sed de speciali, et quidem, an haec, finita generali instituenda, an vero ea omissa accusator potius ex officio constituendus sit? Si dicendum quod res est, tam inquisitorius, quam accusatorius processus sua habet commoda, quibus alter altero praestare creditur. (a) Vterque vero Processus suis etiam premitur incommodis, propter quae alterum alteri postponendum esse viri intelligentes existimarunt. (b) Nobis, qui in hoc sensu vnumquemque iudicio suo vti facile patimur, persuasum est, principiis, quibus officium iudicis adstringitur, rite obseruatis, finem pro-

B 2

cessus

(a) vid. ESAIAS PVFENDORF. *Proc. inquis. et AVG. LEYSER*
in introd. ad Proc. Crim. Lu. Spec. 560. med. 8. et 9. SCHAVM-
neb. §. 7. BVRG in Comp. iur. Dig. Lib.
 (b) c. THOMASIVS *de origin. 48. tit. 2. §. 5.*

cellus criminalis vtraque via obtineri posse, adeoque perinde esse, vtrum facinorosi per viam inquisitionis an per modum accusationis comminatum poenam incurrant.

§. VII.

VTERQUE PROCESSVS CRIMINALIS IN GERMANIA OPTIMO CONSILIO INTRODVCTVS EST.

Optimo plane consilio Imperator CAROLVS V. vtrumque processum in Germania admisit. Quemadmodum enim accusandi via simpliciter praeclusa facile euenire potest, vt si iudex negligentius in inquirendo versetur, fontes iustas effugiant poenas, et vice versa: sicut nulla magistratibus imposita necessitate inquirendi, idem similiter contingere potest; ita laudem omnino meretur illud Germaniae nostrae institutum, quo magistratus vi officii non solum operam dare tenentur, vt prouincia malis hominibus purgetur, sed omnibus promiscue etiam accusandi ius est, quo, si accusator deficiat, reus a magistratu rapiatur ad tribunal et iustas poenas luat, vel si iudex negligentius inquireat, vel conniuendo peccet, cuius tamen accusationis via pateat.

§. VIII.

§. VIII.

UTERQVE PROCESSVS CRIMINALIS HODIE EST
ORDINARIVS ET ELECTIVE CVM ALTERO
CONCVRRIT.

Quae cum ita sint, vterque Processus criminalis hodie est ordinarius. (a) Hinc vero est, quod iudex accusatorem sponte prodeuntem cautione praestita (b) non solum admittere, sed eo deficiente etiam ex officio inquirere possit, imo debeat. (c) Priori casu inquisitione non est opus, quia accusatoris est probare crimen, iudicis vero, audito reo vel condemnare vel absoluere. Posteriori casu, id est, deficiente accusatore voluntario, maxime interest, vter Processus Legibus vel moribus Prouinciae obtineat. Si accusatorius introductus est, Procurator Fisci munus accusatoris subire iubetur, cuius officium est, tueri in omnibus partes actoris.

B 3

ris.

(a) vid. C. C. C. artic. 6. 214. et 219. ibique Commentatores. DANIEL MÖLLER. *Semestrium Lib. 2. Sem. 1. n. 2.* PETRVS HEIGIVS *P. 1. Quaest. 39. num. 20.* MOD. PISTOR. *P. 3. Q. 125.* NICOLAVS REVSNERVS *Lib. 1. Dec. 24. num. 21.* CARPZOVIVS *in Pract. Crim. P. 3. Qu. 103. num. 44. et in m.* 50. IYSTVS HENNINGIVS BOEM-

MERVS *in Iur. Eccles. Prot. Lib. 5. tit. 1. §. 104. in fin. pag. 643.* processus tamen accusatorius in oppositione ad inquisitionem per excellentiam ordinarius saepe dicitur conf. SCHAVMBURG *in Princ. prax. iud. Lib. 2. Cap. 9. §. 13. not. 1.*

(b) C. C. C. artic. 12.

(c) CARPZOV. *l. c. num. 51.*

ris. Reus e contrario negando vel excipiendo se defendit, atque iudex instructa causa sententiam fert. Sin vero Processus inquisitorius tantum vigeat vsuque seruetur, cessat officium Procuratoris Fisci et deuenitur ad inquisitionem specialem. Quod si neuter Processus Legibus Prouinciae alteri praeferatur, in arbitrio iudicis erit, accusatoris munus Procuratori Fisci deferre, an vero inquisitionem specialem eligere velit (d) et vice versa. (e)

§. IX.

PROCESSVS INQUISITORIVS ABSOLVITVR INQUISITIONE GENERALI ET SPECIALI.

Non tamen iudex contra suspectos pro luitu per modum inquisitionis vel accusationis procedere potest, sed ante omnia inquirere debet, an delictum reuera commissum sit? quis illud probabiliter commiserit et an indicia sufficientia ad formandum Processum criminalem adsint? Qua de re vt planius iudicium ferri possit, quaedam praemonenda sunt. Inquisitionis vox in propria et natia significatione omnem de

(d) WOLFGANG. ADAM LAV-
TERBACH *Vol. 4. Conf. Tub. 62.*
num. 3.

(e) AVGVSTINVS A LEYSER
Vol. 8. Spec. 560. med. 9. pag.
452.

de crimine commisso cognitionem significat. Atque hoc sensu etiam de accusatore inquisitio praedicatur, vt ex CICERONE (a) obseruauit AVGVSTINVS A LEYSER. (b) Vsu fori autem inquisitionis vocabulum ad iudicem tantum refertur, atque omnem magistratus de crimine siue leuiori, siue atrociori cognitionem completitur. Absoluitur autem Processus Inquisitorius INQVISITIONE GENERALI ET SPECIALI, quarum illa praecedit, haec sequitur. In vulgus nota est haec distinctio eamque summa ratione niti, nemo negat, licet non easdem omnes sibi formare videantur notiones, siquidem actus multi, qui ad generalem inquisitionem pertinent, ab aliis ad specialem referuntur. Operae itaque pretium esse duximus disquirere, quibus limitibus vterque processus tam iure communi, quam Prouinciarum quarundam circumscriptus sit.

§. X.

INQVISITIO GENERALIS DEFINITVR.

Nimirum ratio ipsa dicitur et leges volunt, vt iudex, simulac vel denuntiatione, vel fama publi-

(a) in Verrem 2. Cap. 4. num. 11. *Ecquem, ait, existimatis vnquam vlla in Prouincia reum absentem contra inquisitio-*
 nem accusatoris tantis opibus, tanta cupiditate esse defensum?
 (b) in Meditat ad Pand. Vol. 8. Spec. 560. med. l. pag. 449.

publica, vel alia ratione legitima probabilem criminis notitiam consecutus est, in rei veritatem, auctorem atque circumstantias commissi delicti inquirat et tandem causa cognita reum siue confessum, siue conuictum poena afficiat vel innocentem absoluat. Qua in re, ne frustra laboret, vel innocentem non sine maxima iniuria processu criminali persequatur, sollicita circumspicione opus est. Quia enim falsus rumor et malitia hominum crimina non commissa haud raro fingunt, interdum vero etiam casu commissi delicti indicia se produnt; quae veritate detecta dispereunt: hinc iudicem ante omnia operam dare oportet, ut constet, an crimen tale reuera commissum sit, nec ne? Posteriori casu, officium eius plane cessat, priori vero necesse est, ut de auctore delicti detegendo sollicitus sit. Cui fini obtinendo imprimis seruit indiciorum, de quibus legitime constat, diligens consideratio et cum ea coniuncta cura, ne suspectos, contra quos processus criminalis probabiliter institui potest, fuga abripiat. Finis ergo Inquisitionis generalis non est, ut reus condemnetur, sed, ut constet, an delictum commissum sit, nec non, an et contra quem ob crimen commissum processus criminalis formandus sit? Vnde
colli-

colligitur, quod inquisitio generalis sit, quae instituitur, vt constet, an delictum probabiliter perpetratum reuera commissum sit et an talia ad sint indicia, vt contra suspectam personam, tanquam praesumptum atrocioris delicti auctorem processus criminalis institui possit? (a)

§. XI.

INQUISITIONIS GENERALIS CAPITA STRICTIM
RECENSENTVR.

Non opus esset, vt rei fati notae diutius immoremur, nisi pro instituti ratione etiam trita haec dicenda essent. Progrediamur ergo ad singula inquisitionis generalis capita, quorum *primum* est, vt iudex inquireat, AN delictum, cuius aliqualem notitiam consecutus est, reuera commissum sit? *alterum*: QVIS delictum commiserit? et denique *tertium*: QVIBVS SVB CIRCVMSTANTIIS crimen perpetratum sit? Qua in
re

(a) SCHAVMBVRGIVS in *Princ. prax. iudic. Lib. 2. cap. 9.* inquisitionem generalem definit, per summariam de veritate corporis delicti et persona delinquente institutam cognitionem. CARPZOVIVS in *Pract. Crim. P. 3. Qu. 107. n. 10.* eam de-

scribit, quod sit inquisitio, quae incerto adhuc delicto vel delinquente per iudicem fit ad generaliter inquirendum, an reuera delictum perpetratum sit, et quisnam illud commiserit, desuper generales informationes assumendo.

re sequimur sententiam ILL. IOAN. SAM. FRID. BOEHMERI, qui vltimum hoc inquisitionis generalis caput contra communem Doctorum opinionem addidit. (a)

§. XII.

ATQVE VBERVS EXPLICANTVR.

Ad PRIMVM inquisitionis generalis caput quod attinet, iudex ante omnia certus esse debet de veritate, seu existentia commissi criminis, quae vsu fori dicitur corpus delicti, quod pro basi et fundamento totius processus criminalis merito habent rerum criminalium scriptores. Vnde hoc deficiente, neque specialis inquisitio, neque Processus accusatorius decerni potest. Rem omnium iudicio conclamatam pluribus persequi non est opus. (a) Eruto vero corpore delicti, proximum est, vt iudex inquireat, quis delictum commiserit? qua auctoris inuestigatione SECVNDVM inquisitionis generalis caput absoluitur. Hunc in finem non tantum testes tam de delicto,

(a) in *Elem. Jurisprud. Crim. Sect. 1. Cap. 5. §. 96.*

(a) videatur NICOLAUS REVSNERVS *Lib. 1. Dec. 24. num. 12.* PROSPER. FARINACIVS *in prax. crim. Lib. 1. tit. 1. quæst. 1. num. 6. 1. OLDEKOP. obs. crim.*

8. tit. 2. B. CARPZOVIVS *in Pract. crimin. P. 3. qu. 108. num. 104. seq.* HARPRECHT *in consultat. civil. et crim. Conf. 63. n. 32. 33. 1. P. KRESSIVS in Comment. ad C. C. C. artic. 6. §. 5. AVGVSTINVS LEYSER spec. § 61.*

cto, quam de indiciis interrogantur, sed ipse suspectus quoque inter testes examinari potest. Quorum alterum cum sit, ad certum aliquam personam examen dirigi non solet, nisi de auctore saltem ex probabilibus indiciis constet, atque tunc ad ipsum delinquentem interrogationes dirigi possunt, vt tamen hoc ipso specialis inquisitio non inchoetur. (b) Qua quidem ratione, cum iudex munere suo fungatur, accidit, vt vel operam perdat, si forte indicia plane deficient, aut minus sufficient: vel indicia reperiantur, propter quae aliquis pro praesumptiuo auctore delicti haberi possit: vel denique verus auctor per confessionem vel alia ratione innotescat. Primo casu, vbi nec auctor apparet, nec indicia contra certam personam adsunt, officium iudicis hac in parte ipsa necessitate iubente cessat, donec forte noua indicia ex post facto emergant. Altero casu maxima circumspectione opus est, num indicia, quae adsunt, siue ad capturam, siue ad processum criminalem sufficient? Qua in re ne iudex a tramite iustitiae aberret et reum praecipiti iudicio inquisitioni speciali subiciat, vel processu accusatorio persequi

C 2

(b) IOAN. GOTHOFR. *iud. Lib. 2. Cap. 9. § 15. not.*
 SCHAVMBVrg *in princip. prax.* **** pag. 270.

sequi iubeat, defensio pro auertendo processu criminali inculpato non est deneganda. Postremo casu, si reus crimen fateatur, vel iudici auctor delicti alia ratione innotescat, ad condemnationem tamen id haud sufficit. Quod intelligi debet non tantum de casu, si de corpore delicti non satis constat, sed tunc etiam verum est, cum de veritate commissi criminis non ambigitur. Vtuncque enim se res habeat processu criminali opus est. Confessio quippe sola ad infligendam poenam per se non sufficit, sed opus est, vt reus interrogetur ad articulos inquisitionales, vel ad libellum articulatum respondeat. Cuius rei haec est ratio, quia saepe accidit, vt confessus etiam aliquando vel absolendus vel saltem mitiori poena afficiendus sit, de quo tamen index non potest iudicare nisi consideratis omnibus circumstantiis, quae mediante responsione ad articulos vel libellum eruuntur, allatisque defensionibus, quae ante responsionem rei ad articulos vel libellum in causa principali audiri non solent. (c) Eodem modo se res habet, si reus durante inquisitione generali crimen

(c) SCHAVMEVRG *l. c.* pag. 280. AVG. LEYSER *Spec.* §60. med. 13. *Spec.* 561. med. 1. 2. Dissentit I. M. GRIBNER *in Princ.* *Process. iudic. Lib. 2. Cap. 10. §. 8.* vbi in reum, qui delictum fateatur, statim poenam statuendam esse tradit.

crimen quidem non confessus fuerit, ex aliis tamen probationibus de eo constet, vel id notorium sit. Nam et hoc casu reum ad articulos, vel libellum interrogandum esse, certum est. Superest tertium inquisitionis generalis caput, quod in eo consistit, ut iudex inquireat, quibus sub circumstantiis delictum commissum sit? Quod quam necessarium sit, Illustris BOEHMERVS (d) non tantum probavit, sed inde etiam id patet, quia circumstantiae quaedam obstare possunt, quominus processus criminalis locum habeat, licet de corpore delicti et de auctore eius ex sufficientibus indiciis constet. Ponamus furtum commissum esse nec de corpore delicti dubitari. Ponamus insuper grauissima indicia contra aliquem suppetere. Nondum quidquid etiam primo intuitu videri posset causa ad inquisitionem specialem instructa est, vel ad processum accusatorium. Verum ante omnia opus est, ut iudex disquirat, magnum sit furtum, an paruum, primum an iteratum, simplex an qualificatum? Fac enim nec magnum furtum esse, nec qualificatum, nec reiteratum. Quis ob furtum simplex idemque paruum et prima vice commissum inquisitioni speciali vel processui accusatorio locum esse dixerit?

C 3

(d) in *Elem. Iur. Crim. Sect. I. cap. 5. §. 96.*

xerit? Quemadmodum enim generatim in delictis leuioribus, quorum poena ad relegationem extendi non potest, inquisitio specialis haud decernitur, ne inquisitio duriori malo affligat reum, quam poena ipsa, sed iudex summario procedendi modo adhibito rem omnem conficere debet: (e) ita saepe ex circumstantiis demum apparet, quale sit delictum, leuius an atrocius. Si prius, specificè quidem non vero ad articulos inquisitionales interrogandus est reus, eumque in finem decernitur *eine summarische Vernehmung*. Sin posterius: ad specialem inquisitionem vel processum accusatorium deueniendum est. (f) Vt taceamus de *interrogatione ad certa puncta*, quae tamen recentior, nec ubique probati moris est. (g)

§. XIII.

(e) SCHAUMBURG *l. c. Lib. 2. de cap. 34. §. 1302. 1305. 1311. 1360.*
cap. 9. §. 14. pag.

(f) Magnificus huius Academiae Procancellarius I. G. ESTOR *im Vnerricht von Abfassung der Vrtheile und Beschei-*

(g) I. H. DE BERGER *in E-lect. Iurisprud. crim. pag. 210. C. I. HEILS de process. crimin. Cap. I. §. II. circ. fin. ESTOR l. c. §. 1311. ENGAV in Elem. Iur. crim. Lib. 2. tit. II. §. 121.*

§. XIII.

FINITA INQUISITIONE GENERALI SVCCEDIT
INQUISITIO SPECIALIS, VEL PROCESSVS
ACCVSATORIVS.

Quod si autem de corpore delicti constat nec indicia, quae contra praesumptum eius auctorem militant, elidi potuerunt, ipsum vero delictum tale est, vt mitior relegatione perpetua poena dictari nequeat; nec dimitti reus, nec causa breui manu decidi potest, sed processus criminalis quantocyus formari debet. (a) Qui cum duplex sit, vel inquisitorius, vel accusatorius, vter processus moribus vel legibus provinciae obtineat videndum erit. Si, quod in Saxonia et alibi vsuuenit, inquisitorius frequentatur, accusatorius processus cessat: sin vero, accusatorius vigeat, prout is multis in locis observatur, hic decernitur. Inquisitorium Processum quod attinet, iudex eum causae totius, momenti rite ponderatis, et praeuia annotatione protocollari de decreta inquisitione speciali, vel pro arbitrio inchoat, interrogando reum

(a) Quid requiratur, vt inquisitio specialis decerni possit, exponit CARPZOV. *Part. 3. Qu. 107. num. 23.* et Vir Il-

lustris I. G. ESTOR *im Vnterriicht von Abfassung der Vrtbeile und Bescheide cap. 33. pag. 767.*

reum ad articulos a se formatos, vel si dubitet, an inquisitio specialis locum habeat, acta ad Iureconsultos extraneos transmittit, qui, habita iuris et circumstantiarum ratione, inquisitionem specialem decernere solent, hac formula: *Daß wider den Inculpaten mit der special inquisition nummebro billig zu verfabren.* (b) Processus accusatorius, qui in iis locis, vbi inquisitio specialis vsu non seruatur, obtinet, a Procuratore Fisci non instituitur, nisi praeuio decreto et postquam officii sui admonitus est. Actis vero ad Collegium Iureconsultorum transmissis, quod in casibus dubiis fieri solet, processus criminalis hac fere formula decernitur: *Daß wider den Inculpaten mit dem peinlichen Proceß zu verfabren, derowegen der Fiscal seines Amts zu erinnern, der Inculpate hingegen auf die Articulsweise abzufassende peinliche Anklage zu antworten, der Fiscal aber dasjenige so derselbe verneinet, durch Zeugen oder sonsten zu erweisen schuldig; worauf sodann, wan der peinlich Beklagte zuserst mit seiner Defensions-Schrift einkommen, ferner in der Sache erget, was Rechtens.* (c)

§. XIV.

(b) IAC. FRID. LVDOVICI in der Einleitung zum peinlichen Proceß Cap. 4. §. 9.

(c) conf. C. G. KNORR in der Anleitung zum gerichtlichen Proceß Lib. 3. Cap. 9. §. 9.

§. XIV.

INQUISITIO SPECIALIS DEFINITVR.

Est autem inquisitio specialis plenaria de crimine commisso cognitio, eum in finem instituta, vt reus, siue confessus, siue conuictus, condemnetur, vel, si innocentiam suam demonstrauerit, absoluat. (a)

§. XV.

QVAESTIO DE FINIBVS VTRIVSQUE PROCESSVS
INQUISITORII PROPOSITVR.

Naturam et indolem inquisitionis specialis viri docti iam dudum pluribus exposuerunt. Quamobrem nec definitionem eius attulissimus, nisi genuina inquisitionis specialis notio in subsidium adhibenda fuisset, vt controuersia de finibus vtriusque processus inquisitorii decidi possit. Cuius quaestionis mentionem dum facimus, ad extremum in inquisitione speciali non respicimus. Illud enim sine dubio est sententia, siue
CON-

(a) Aliter CARPZOVIVS in *Pract. Crim. Part. 3. Quaest. 107. num. 11.* Specialis, inquit, inquisitio est, quae fit per iudicem contra particularem personam, de cuius delicto curia iam notitiam habet, vel, qua in delicti modum et auctorem, personam certam in inquisitione generali suspicionibus grauata in specie iudex inquirat. Alii aliter.

D

condemnatoria siue absolutoria, id quod vel ex ipsa inquisitionis specialis definitione patet, nec de eo disputari meminimus. De actu autem a quo illa initium capiat? quaeritur. Quam quaestionem antequam ex principiis suis decidamus, variae Doctorum opiniones adducendae sunt.

§. XVI.

INQUISITIO SPECIALIS NON INCIPIT
A CITATIONE VERBALI.

Prima inter dissentientes sententia est eorum, qui specialem inquisitionem a citatione verbali incipere posse existimant. (a) Niritur illa sine dubio erroneo hoc principio, quod inquisitio generalis sola fere inuestigatione corporis delicti absoluat, omnemque licet summariam contra certam aliquam personam inquisitionem respuat, inquisitio vero specialis a quolibet actu incipiat, quo iudex contra suspectam sibi personam in individuo procedit, siue citationem, siue capturam, decernendo, siue etiam summarium examen instituendo. (b) Et in sensu

(a) vid. CHRISTIANVS IACOBVS HEILS in *tractatu de processu criminali* Cap. 1. §. 10. et cap. 2. §. 1.

(b) vid. C. I. HEILS *l. c.* imprimis vero L. B. DE WERNHER in *Supplem. ad Part. 4. Obs.* 225.

sensu grammatico defendi potest haec opinio. Nihil enim obstat, quominus iudicem generaliter inquirere dicamus, quamdiu de corpore delicti non constat, ipseque auctorem eius plane ignorat: specialiter autem, quam primum contra certam aliquam personam inquirat. Quemadmodum vero summarium illud examen, ut supra vidimus et infra pluribus dicemus, partem inquisitionis generalis constituit: ita citationem, praesertim verbalem, ad inquisitionem specialem referri non posse manifestum est, tum quia summarium illud examen praecedat, tum, quia media, quae formandae inquisitioni speciali inferuiunt, illique viam sternunt, non sunt confundenda cum inquisitione ipsa.

§. XVII.

NEQVE A CAPTVRA.

Eodem fundamento nituntur illi, qui inquisitionem specialem initium sumere putant a captura. Regulariter nimirum illam exordium inde capere statuit TOBIAS GRANTZIVS. (a) Quo cum conuenit sententia CHRISTIANI IACOBI HEILS, (b) qui eam a citatione plerumque reali incipe-

D 2

re,

(a) in tractat. de defens. in-
qu sit. Cap. 4. membr. 2. Sect. 1.
num. 6. pag. 252.

(b) in tract. de process. cri-
minal. cap. 2. §. 1. 2. pag. 39.

re, imo capturam specialis inquisitionis speciem esse existimat. Nec multum abludit ipse Vir Summus IYSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS, (c) eam caeteris paribus, a captura ordiri ratus. Vbi obseruandum est, Viros hos doctissimos, dum *regulariter, plerumque vel caeteris paribus* rem ita se habere docent, capturam simpliciter et indistincte non videri habere pro actu initiali inquisitionis specialis. Et reuera captura non est principium illius. Primo enim nullum est dubium, quin suspectus de crimine ante decretam inquisitionem specialem circumstantiis ita iubentibus carceri mancipari possit. Quod si verum est, quis capturam pro initio inquisitionis specialis venditauerit? Secundo, incarcerationo defensionem pro auertenda inquisitione speciali haud denegandam, eumque, si indicia eliserit, e carcere dimitendum esse omnes consentiunt. Qua de causa pronuntiatur: *daß der Inculpat mit der Special-Inquisition zu verschonen.* (d) Hinc vero prona consequentia deducitur, quod captura nec pars essentialis, nec primus inquisitionis specialis actus sit. Nos, si dicere

(c) *in introd. ad ius digestor.*
Lib. 48. tit. 2. §. 18.

(d) IACOB. FRID. LVDOVICI
in der Einleitung zum peinlichen
Process Cap. 4. §. 9

dicere licet, quod res est, ita statuimus. Captura, vti consistit in apprehensione personae suspectae, nec tam citationis species est, quam medium legitimum, quo iudex vtitur, ne iudicium fiat elusorium: ita tam ante, quam post decretam inquisitionem specialem adhiberi potest et quasi ad communia vtriusque inquisitionis referenda videtur. Si enim durante inquisitione generali indicia sufficientia contra personam aliquam emergant, praecipua iudicis cura esse debet, ne suspectum, si praesens sit, fuga abripiat, vel si alibi moretur, vt idem quanto-cyus arresto constringatur et carceri mancipetur, ne decreta inquisitione speciali, iudicium fiat inane. Quemadmodum autem absentia eius qui pro auctore delicti habetur, non impedit, quominus inquisitio specialis contra eum decernatur, (e) ita eadem decreta ad curam iudicis pertinet, operam dare, vt persona eius potiatur. Pertinet huc formula pronuntiandi:

Daß wider den N. mit der special inquisition zu

D 3

verfab-

(e) Quamuis enim inquisitio specialis inchoari nequeat nisi reo praesente, PROSPER. FARNACIVS *in Prax. Crim. Lib. 1. tit. 1. q. 1. n. 69.* BENED. CARPZOVIVS *in Pract. Crim. Part. 3. Qu. III. num. 1. et Qu. 107. n.*

62. decerni tamen illa contra absentem potest, id quod etiam de consuetudine obtinere l. c. traditur. Vide sis MICHAEL. HENRIC. GRIBNERVM *in Princip. process. Lib. 2. Cap. 10. §. 6.*

verfabren, deromegen demselben zufforderst nachzutrachten cet. cet. Quibus conuenienter si iudex hoc agit, vt reum carceri mancipet; per accidens fit, vt captura primus actus sit, quem post decretam inquisitionem specialem suscipit, qui tamen non tam ad processum inquisitorium pertinet, quam tanquam medium adhibetur, vt inquisitio specialis decreta formari possit.

§. XVIII.

NEQUE A SVMMARIO REI EXAMINE.

Maiori veritatis specie inquisitionis specialis initium alii repetunt a summario rei examine, quo is non quidem ad articulos inquisitionales, sed tamen quaestionibus ad ipsum directis de crimine eiusque circumstantiis specificè interrogatur, verbi gratia: tunc ipse fuisti auctor facinoris? tunc hoc, quod tibi obiicitur, fecisti? tunc talem egisti vitam? tunc ob facinus hoc fuga te proripuisti? Quod Iudex cum suspecto eiusmodi examen suscipere possit, imo si indicia sufficientia adsint, instituere debeat, concursus omnium sententia est. Quamuis enim in praeparatoria illa cognitione examen ad ipsam personam illico non dirigatur, sed testes et inter eos ipse reus generaliter de corpore delicti eiusque

que auctore interrogandi sint, tamen si de eo ex verisimilibus indiciis constet, nihil vetat, quominus reus quaestionibus ad ipsum directis interrogetur. (a) Pertinet vero examen hoc non ad inquisitionem specialem, vt nonnulli existimant, (b) sed, vt supra dictum est, ad inquisitionem generalem. Nam licet iudex, quando officio suo hac in parte fungitur, specialiter inquirere videatur, quia contra indiuiduum quoddam tanquam praesumptum delicti auctorem procedit, re tamen penitus inspecta contrarium euidenter patet. Etenim finis huius examinis est,

(a) IOH. GEORG. BBYER *ad artic. 6. C. C. C. pos. 6.* BOEHMER *in elem. iuris p. crim. Sect. 1. cap. 10. §. 185.* SCHAVMBVRG *l.c. Lib. 2. Cap. 9. §. 14. not. pag. 269.* C. G. KNORK *in der Anleitung zum gerichtlichen Proceß Lib. 3. Cap. 10. §. 27.*

(b) Sic SCABINI LIPSIENSES dubii, vtum inquisitio specialis a citatione, captura, vel summario rei examine, an vero a responsione ad articulos inciperet, interpretationem authenticam Mandati Regii *wegen geschwinder Exequirung der Rauber und Diebe* de anno 1719. eflagitarunt, vti videre est apud L. B. DE WERNHER *in Supplement. ad Part. 4. obs. 225.* Con-

feratur C. I. HEILS *l. c. Cap. 1. §. 11.* qui summarium examen diuerso respectu cum ad generalem, tum ad specialem inquisitionem referendum esse putat. Distinguit vir doctissimus, vtum examen eiusmodi institutum sit generatim, an specialiter, facta mentione personae desuper quaesitae. Priori casu illud ad generalem, posteriori ad specialem pertinere contendit. Sed quia non quaeritur de examine illo, quo testes et hos inter ipse reus tanquam testis generaliter examinantur, sed de examine ad ipsum reum directo, hinc distinctio illa huc plane non pertinet, nec rem conficit.

est, non, vt reus, si forte crimen confiteatur condemnetur, vel, si in negando perseuerauerit, absoluator, sed, vt iudex eo magis exploratum habeat, num ad inquisitionem specialem tuto perueniri possit. Quia enim reus hoc modo interrogatus crimen saepius confitetur, vel si id negare sustineat, contradictionibus tamen vel variationibus se haud raro implicat, hinc non sine ratione iudex hac via incedit, quotiorem inquisitioni speciali praemuniat viam, vel, si reus nec confiteatur, nec suspectiorem se reddat, de sufficientia vel insufficientia indiciorum eo rectius iudicare possit. Alia plane ratio est inquisitionis specialis, quae hunc finem habet, vt reus vel absoluator vel condemnetur, et cui fundandae et instruendae summarium illud examen inseruit. Eo enim peracto inquisitio specialis demum decernitur, quod fieri non posset, si illa a summario examine initium iam coepisset. Argumento a fine summarii illius examinis petito, accedit alterum, quod a natura et indole defensionis pro auertenda inquisitione speciali desumptum est. Nam si, quod negari nequit, etiam post summarium illud examen defensionis pro auertenda inquisitione speciali locus est, sequitur, initium eius aliunde repetendum esse.

esse. Inconuenienter enim auerti diceretur inquisitio, specialis quae iam est inchoata. Interdum quidem, quod non diffitemur, coepta inquisitio abrumpitur vel aboletur, auerti autem inchoata inquisitio nunquam dicitur. Tertium argumentum suppeditat diuersa denominationis ratio, qua reus, prout vel summarie vel ad articulos inquisitionales interrogatur, appellatur. Quamdiu enim inquisitio specialis nec decreta, nec coepta est, reus de crimine suspectus, non Inquisitus, sed *Inculpatus* vocatur, licet summarie iam interrogatus fuerit. Decreta vero coeptaque inquisitione speciali merito audit *Inquisitus*, quod discrimen vel ideo negligi haud debet, quia reus, famae dispendium subire creditur simulac ad articulos respondit, quod tamen, cum summarie examinatur, non incurrit.

§. XIX.

NEQVE ETIAM A DECRETO QVO INQUISITIO
SPECIALIS DECERNITVR.

Ex dictis et hoc sequitur, inquisitionem specialem ne quidem a decreto, quo ipsa decernitur, initium capere. Quemadmodum enim decretum, quo iudex aliquid fieri iubet, differt

E

ab

ab eo, quod vi decreti faciendum est: ita et decretum, quo specialis inquisitio decernitur, differt ab inquisitione ipsa. Id quod luculenter inde patet, quia post decretam inquisitionem specialem, defensio pro ea auertenda denegari nequit.

§. XX.

SED AB INTERROGATIONE ET RESPONSIONE AD
ARTICVLOS INQUISITIONALES.

Quod si ergo tandem dicendum est, vnde inquisitio specialis incipiat, distinguendum esse arbitramur inter reum et iudicem. Intuitu iudicis inquisitio specialis initium capit a formatione articulorum inquisitionalium, quos vt ipse conficiat, processus huius ratio postulat. Quamuis enim is proprie actoris vices non sustineat, partibus tamen eius quodammodo fungitur. Sicut vero in caussis ciuilibus et in criminalibus iudiciis, quae processu accusatorio pertractantur, initium fit ab oblatione libelli, quem actor vel accusator exhibet: ita in hoc genere processus iudicium initium capit a confectione articulorum, quam sequitur interrogatio ad eosdem. Et vice versa, quemadmodum ex parte rei iudicium

cium in cauffis ciuilibus, nec non in criminalibus, quae processu accusatorio pertractantur, initium sumit a litis contestatione et responsione ad Libellum articulatum; ita processus inquisitorius in specie sic dictus ratione rei inchoatur a responsione ad articulos, quae instar litis contestationis se habet. (a)

§. XXI.

INQUISITIO SPECIALIS FINITVR SENTENTIA, SIVE CONDEMNATORIA, SIVE ABSOLVTORIA.

Qua comparatione instituta, in procliui est definire extremum in Processu inquisitorio. Vti enim processus ciuilis terminatur sententia, siue condemnatoria, siue absolutoria: ita et inquisitio specialis pari modo finitur sententia. De his, quae post responsionem ad articulos et ante sententiam fiunt, hoc loco agere non attinet. Neque enim integrum processum inquisitorium per

E 2 partes

(a) vid. BENED. CARPZOV. *in Pract. Crimin. Part. 3. Qu. 113. num. 11. seq.* E. B. DE WERNHER *in Supplem. ad Part. 4. Obs. 225. pag. m. 799.* ibique Interpretatio authentica Potentissimi REGIS POLONIA-RVM verbis: *wan derselbe vor*

der Antwort über inquisitorial articul und also vor angefangener Special - Inquisition IOH. SAM. FRID. BOEHMER *in Elem. Iurisprud. Crim. Sect. 1. Cap. 10. §. 179.* IOH. GOTHOFRED. SCHAVMBVRG *in Princip. prax. Iudic. Lib. 2. Cap. 9. §. 19.*

partes explicare, sed tantum fines eius determinare et de iisdem, vt par est, regundis, quaedam differere instituimus.

§. XXII.

MONITVM DE FINIBVS PROCESSVS INQUISITORII
REGVNDIS, TAM QVOAD INITIVM EIVS,
QVAM QVOAD EXTREMVM IN EODEM.

Quemadmodum vero ex dictis satis intelligitur, processum inquisitorium in specie sic dictum ab interrogatione et responsione ad articulos initium capere, sententia autem, siue condemnatoria, siue absolutoria terminari: ita fines eius, duplici ratione confundi facile demonstrari potest. Primo enim in eo saepe peccatur, quod citatio, captura atque summarium rei examen referantur ad inquisitionem specialem: cum tamen omnia haec inquisitionis generalis partem constituent. Interdum quidem accidit, vt reus coepta inquisitione speciali citetur, carceri mancipetur, vel summarie interrogetur. Sic v. gr. reus, qui saluum conductum impetrauit, iterum atque iterum citatur. Idem quoque si circumstantiae id suadeant, vel necessitas postulet, praevia captura custodiae committitur. Idem

Idem tandem ad eruendam veritatem post re-
sponſionem ad articulos ſuper punctis emergen-
tibus etiam ſummarie interrogatur. Sed vel inde,
quod haec omnia coepta iam inquisitione ſpecia-
li fieri poſſint, ſatis patet, quod initium eius
aliunde repetendum ſit. Deinde, quoad extre-
mum in hoc proceſſu ſibi non ſemper conſtant,
qui iuri dicendo praefunt. Nam ex actis, quae
ad Collegia Iuridica ferendae ſententiae cauſſa
transmittuntur, ſaepe animaduertere licet, in
ea multos haerere opinione, finita inquisitione
generali, quam ſola fere inueſtigatione corporis
delicti abſolui ſibi male perſuadent, ſequi ſpecia-
lem, eaque finita, tandem formandum eſſe pro-
ceſſum accuſatorium, quo reus ſiue condemnetur,
ſiue abſoluatur. Hinc eſt, quod reus, in
eadem cauſſa primo audiat *der Inculpat*, mox
der Inquiſit, et tandem *der peinlich Beklagte*.
Hinc porro deriuandum eſt, quod idem reus,
qui ad *articulos inquiſitionales* reſpondit, inſu-
per reſpondere teneatur ad *libellum articulatum*
a Procuratore Fiſci exhibitum, quamuis neu-
trum abſque incongrua proceſſus inquiſitorii et
accuſatorii mixtura fieri poſſit.

§. XXIII.

PROCESSVS ACCVSATORIVS INQUISITIONI SPECIALI
IN EADEM CAVSSA NON EST
SVBORDINANDVS.

Quod licet ex dictis prona consequentia
fluat: tamen, vt idem euidentius pateat, spe-
ciem facti cum praeiudicio adduxisse iuuabit.
Ornamenta, quibus Sarcophagi in Mausolaeo
quodam Principali superbiebant, furto ablata
erant et cum de corpore delicti ex inspectione
oculari magistratus satis constaret, in auctorem
inquiri coeptum est. Suspicionem commissi fa-
cinoris contraxerat ciuis quidam excubiis in vr-
be agendis praefectus. Indicia, quae contra
eum militabant sufficere iudici videbantur, cum
ad capturam, tum ad inquisitionem specialem, ad
quam etiam praeuio decreto deuentum erat.
Reus itaque ad articulos inquisitionales solenni-
ter interrogatus, delictum negabat et pernega-
bat. Defensor, qui causam eius agebat, indi-
cia omni ope elidere atque innocentiam rei de-
monstrare conabatur. Ita vero causa instructa
acta ad ordinem ICtorum in Academia Ienenſi
transmissa sunt, qui grauissimis rationibus moti
reo gradum secundum torturae dictarunt. Ar-
gumenta

gumenta defensionis pro auertenda tortura plane non aderant. Poterat ergo iudex ad torturam procedere, eo fine, vt si reus confiteretur crimen, is condemnaretur, sin in negando persisteret, absolueretur. Is vero, quod non immerito quis miretur, neglecta sententia Ienenfi ab ouo rem aggreditur et forte naturam Iudicii Criminalis hoc exigere ratus, Processum Accusatorium decernit. Quo facto reus ad libellum articulatum a Procuratore Fisci exhibitum negando respondit. Hic probationes, quae in ante actis iam allatae erant, denuo in medium affert, ille vero consilio defensoris a iudice constituti easdem elidere studet. Conclufa sic causa, Acta ante biennium huc transmissa, reo vero eundem torturae gradum a Facultate nostra dictatum fuisse recordamur Mense Octobri 1752. Nemo non videt Processum Accusatorium post decretam et fere ad finem perductam inquisitionem specialem locum habere non posse, in memorato vero casu iudicem contra regulas processus peccasse, quod causa per modum inquisitionis dudum instructa et sententia super tortura lata nunc demum Procuratori Fisci demandauerit munus accusatoris atque causam diuerso processus genere

nere ab integro tractari iusserit, non perpendens, inquisitionem specialem hoc quidem modo frustra institutam fuisse, nec effectum vllum habuisse, finem autem totius iudicii criminalis obtineri potuisse citra processum accusatorium, qui post decretam et coeptam inquisitionem specialem exulare debet.

§. XXIV.

PROCESSVS INQVISITORIVS EXCLVDIT ACCVSATORIVM, HIC AVTEM FACIT CESSARE PROCESSVM INQVISITORIVM.

Processus itaque accusatorius inquisitioni speciali subordinari nequit, multo minus vero cum Processu inquisitorio cumulari potest. Distinguendum tamen est, inter accusationes sponte motas, et eas, quae a Procuratore Fisci ex officio instituuntur. De his verissima est regula, quod inquisitionem excludant et ab eadem excludantur. Vtriusque enim Processus idem est finis atque vtroque processu finis hic obtineri potest. Quemadmodum vero alias ad finem obtinendum pluribus remediis coniunctim non vtimur, vbi vnum sufficit: ita pluribus iudiciis non est contendendum, quando vno iudicio

dicio finis propositus obtinere potest. Inconsiderate iudex agit, qui post institutam inquisitionem specialem, in qua accusator exulat, Procuratori Fisci munus accusatoris deferendum existimat, cum ipsi iam ex officio incumbat, quod ad instantiam accusatoris sibi faciendum esse praevidet. Nec rectius partibus suis fungitur iudex, qui accusatore ex officio constituto, speciali insuper inquisitione contra eundem reum, in eadem causa sibi procedendum esse arbitratur. Alteruter enim Processus iam sufficit ad conuincendum reum, et, si probationes forte deficiant, vtriusque processus cumulatio defectum hunc supplere non potest. Deinde est quod moneamus, reum, siue nocentem siue innocentem duplici processu praeter necessitatem non esse grauandum; quod tamen, si vterque cumularetur, omnino fieret. Tandem vtriusque Processus diuersa ratio cumulationem impedit. Accusatorius enim Processus ex officio susceptus accusatorem supponit Procuratorem Fisci, qui reum de crimine suspectum publica auctoritate persequitur: in Processu autem Inquisitorio iudex ex officio procedit. Quemadmodum vero nihil magis contradictorium dici potest, quam aliquid ex officio, idemque simul

F

ad

ad instantiam partis decernere: ita et ne separatis quidem voluminibus actorum inquisitionis et accusationis vterque Processus in eadem causa, contra eundem reum, ob idem crimen, salua ratione cumulari potest.

§. XXV.

QVOD TAMEN LIMITATVR.

Non aequè expedita res est, cum de accusatione voluntaria quaeritur. In diuersas iam pridem sententias haec controuersia Doctores traxit. Quae vt rectè tractari possit, status controuersiae distinctius formandus est. Vel enim quaeritur: num iudex salua accusatione antecedente inquisitorie procedere possit? vel: an post formatam a iudice inquisitionem specialem, eadem salua, quilibet reum accusare possit? Affirmatiuam tuentur IULIUS CLARVS (a) et NICOLAUS REVSNERVS, (b) qui remedia haec vindicandorum criminum, accusationem scilicet et inquisitionem, in eadem causa simul concurrere posse statuunt. Negatiuam contra defendit et praecudiciis confirmat BENEDICTVS
CARP-

(a) in *Practica Crimin.* §. *fm. Quaest.* 3. num. 7.

(b) *Dec. Lib. 2. Decif.* §.

CARPZOVIVS. (c) Qui accusatore existente processum inquisitorium locum non habere, coepta vero inquisitione accusatorium processum impediri existimat. Vtriusque sententiae auctores diuersis rationibus nituntur, quae si inter se conferantur, rem non conficere, sed in dubio relinquare videntur. Nobis, si regula constituenda est, CARPZOVI sententia non tantum iuri Saxonico, sed etiam Iuri communi conuenientior esse videtur. Vterque enim Processus ad eundem finem tendit; qui alterutro modo obtineri potest. Vti vero iudex omnes actus frustraneos vitare, et, ne iudicia praeter necessitatem multiplicentur, cauere debet: ita, si accusator existat, qui sufficientibus probationibus instructus reum conuincere potest, nulla profecto adest ratio, quae iudicem mouere possit, vt inquisitionem instituat; cum finis processus inquisitorii per coeptam et mox absoluendam accusationem obtineri queat. Et vicissim, accusatore post motam inquisitionem insurgente, non est, vt iudex illum admittat, si non deficient media probandi, quibus reus conuinci potest. Cur enim coeptam inquisitionem abrumperet iudex, qua

F 2

abso-

(c) in *Pract. rerum Crimin. Part. 3. Quaest. 107. num. 44. et 57.*



absoluta reum condemnandum esse praevidet? Ut taceamus, eum, si probationes forte deficiant accusatorem cogere posse, ut media probandi suppeditet, ad promouendam inquisitionem. Recte itaque CARPZOVIVS duos processus iudiciales simul consistere non posse docet. Obstare autem videtur, quod eadem res, ab eodem possessore, eodem tempore a pluribus et quidem diuersis iudiciis peti possit. Hinc enim non sine specie aliquis colligeret, quod iudex crimen, cuius reus accusatus est, per viam inquisitionis ex officio insuper vindicare possit; praesertim si ad euitandam confusionem acta inquisitionis et accusationis separatis fasciculis comprehendantur. Aliud tamen in criminalibus ius obtinet. Ad accusandum enim plures simul haud admittuntur. Sed pluribus existentibus, qui accusare vellent, causa cognita aestimatisque accusatorum personis iudex eligere debet, vel dignitate praecellentem, vel eum, cuius maxime interesse videtur, vel aetate vel moribus vel alia iusta causa praefendum. (d) Neque est, ut quis discrimen inter accusatorem et iudicem ex officio inquirentem, urgeat. Iudex enim inquirendo
vices

(d) *L. 16. ff. de accusat. et inscript.*

vices accusatoris quodammodo subit, adeoque in effectu perinde est, contra plures accusatores, an vero contra vnum accusatorem et iudicem ex officio inquirentem se quis defendat. Vtrobique certe duplex Processus est, quo reum praeter necessitatem haud grauandum esse supra monuimus. Minus ponderis habet altera CARPZOVII ratio, quod scilicet accusatio, tanquam remedium ordinarium faciat cessare inquisitionem, tanquam remedium extraordinarium. Inquisitio enim hodie remedium ordinarium est, atque iudex moribus nostris tam per viam inquisitionis, quam accusationis ad poenam procedere potest. (e) Potius dicendum videtur, quia vtrumque remedium moribus ordinarium est, locum esse praeuentioni, ita vt mota accusatione, cesset ius et obligatio inquirendi ex parte magistratus, et vicissim, vt instituta inquisitione cesset ius accusandi caeterorum. Interim tam perpetua non est haec regula, vt ei stricte et semper inhaerendum, nec iudicis arbitrio aliquid indulgendum sit. Quando enim quaeritur, an coepta inquisitione speciali accusator admittendus sit, secundum regulam quidem cum CARP-

F 3

ZOVIO

(e) LAUTERBACH. Vol. 4. Conf. Tub. 62. n. 3.

ZOVIO negatiue respondimus, (f) iudicis tamen arbitrio relinquendum esse putamus, vtrum, si hoc ipsi consultum videatur, suspensa tantisper inquisitione accusatorem admittere et abrumpere processum inquisitorium, an vero admittere accusatorem et continuare Processum inquisitorium velit. Priori casu nullum est dubium, quin si accusator causa ceciderit, vel processus morte eius, vel, quia de accusatione destitit, finitus aut abruptus fuerit, ipse reassumere inquisitionis filum, vel in locum accusatoris desistentis alium substituere possit. Posteriori vero post receptas probationes sententia vel super inquisitione, vel super accusatione sententia ab eo fieri poterit. (g) Vicissim, si quaeritur: an iudex post motam accusationem nihilominus per viam inquisitionis procedere possit? eius arbitrio hoc iustis ex causis fieri posse existimamus. Nam primo interest Reipublicae ne delicta maneant impunita, sed rei criminum quantocyus luant promeritas poenas. Quid ergo obstat, quominus iudex, si forte reum accusatum ob insufficientiam probationum,

(f) *Pract. rer. crimin. P. 3. quaeft. 107. n. 57.*

(g) NICOLAUS REVSNERVS
Lib. 2. Decis. 25. num. 17.

tionum, praeuaricationem, vel tergiuersationem accusatoris, vel alias ob causas promeritam poenam subterfugiturum esse metuit, ex officio inquirat? Sane diuersa processus accusatorii et inquisitorii ratio non impedit, quin iudex finem, quem accusatorem vel plane non, vel non nisi difficulter obtenturum esse praeuidet, mediante inquisitione assequi studeat, ita tamen, vt pro arbitrio vel super accusatione vel super inquisitione sententiam ferat. Secundo lex nulla adest, quae iudici post motam accusationem ius inquirendi adimit. Et denique sic iudicatum esse praeiudicio Iureconsultorum IENENSIVM probat NICOLAVS REVSNERVS. (h) Vnde concludimus, si iudex non obstante processu accusatorio et durante eo inquisitorie procedere potest, eidem, desistente ab accusatione instituta accusatore, multo magis id licere. Et ante litem contestatam id fieri posse ipse CARPZOVIVS (i) concedit, post litem contestatam vero processum accusatorium in inquisitorium non transmutandum esse, sed iudicem vice accusatoris processum ordinarium continuare debere contendit atque praeiudicio confirmat.

(h) REVSNERVS *l. c. num. 13.* (i) *l. c. n. § 2.*

firmat. Nobis vtrumque fieri posse videtur. Nempe vt iudex desistente accusatore alium ex officio substituatur, qui in tramite coepto pergat, omnino rationis est, ad euitandos scilicet actus frustraneos et vt coeptum legitimo modo iudicium absoluator. Quominus vero processum accusatorium iustis de causis missum facere et inquisitionem de nouo firmare possit, nulla ratione CARPZOVIUS euicit, nec vllam sufficientem dari posse, certo persuasum.



Marburg, Diss., 1753-55

ULB Halle
005 034 817

3




TA → α

nr 1 + 10 Stück







B.I.G.

Farbkarte #13



Pr. 37. num. 4

1754, 6

12

IVRIDICA

INDOLE INQUISITORII SATORII

NON
UTE DETERMINANDIS
VNDIS
ATIM
IO INQUISITIONI SPECIALI
NON SVBORDINANDO

AM
MAGNIFICENTISSIMO
O PRINCIPE

MINO
DERICO
HAEREDITARIO

SIDE
DMBERGK zu Bach
IAE LANDGRAVIIS
LIIS IVR. PROFESS. ORDIN.
EMBRIS MDCCCLIV.

Q. S.
TONVM EXAMINI
TTIT
STINVS KIRCHMEJER
GENSIS

CATTORVM
RI MÜLLERI, ACAD. TYP.

